

Johannes Assuerus Ampzing

D. Joannis Assueri Ampsingii De Theriaca Senioris Andromachi Oratio

Editio Secunda, Rostochi[i]: Pedanus, 1619

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729696081>

Druck Freier  Zugang



F. Asseverus Ampringius.
R. M. med. 1619.

JOANNIS ASSVERI
AMPSINGII
DE
THERIACA
SENIORIS ANDRO-
MACHI
ORATIO.

e. - 13.



EDITIO SECUNDA.

ROSTOCHI

Literis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.

ANNO M. DC. XIX.





VIRIS CLARISSIMIS
PRUDENTISSIMISq̄

DN. D. JOH. ALBER. GRTPHIO
Jurisconsulto.

DN. CHRISTIANO BESELINO;
urbis Rostochianæ Senatoribus,
& officinæ phamaceuticæ
præfectis.



Nni effluerunt plus minus octo,
cum orationem hanc meam de Theriacâ se-
nioris Andromachi primùm recitarem,
eamq̄ typis excusam amplissimis p. t. Dnn.

4

Coss. consultissimo Dn. Syndico, & Dnn. Officinæ phar-
maceuticæ præfectis, nec non toti ordini Senatorio de-
dicarem. Ea cum jam ad incudem esset revocanda &
denuò in publicû edenda: censui in dedicatione illa prio-
re nihil mutandum; ne novellâ dedicatione novellam
nescio quâ benignitatis auram captare viderer. Non
potui tamen vos præterire nominatim salutandos, quò
hoc tempore de Rostochiensium repub. optimè meremi-
ni, tum alijs multis nominibus, tum hoc maximè,
quòd, ut officinam pharmaceuticam habeatis omni medi-
camentorum optimorum genere instructissimam, neq̄
laboribus parcitis neq̄ sumptibus. Utinam verò effe-
ctum quòd, detur, ut TAXA, quâ vocant, & esti-
matio medicamentorum omnium, simplicium pariter &

8

12

16

A 3

com-

- compositorum, certa, justa & æqua, ad exemplum
aliarum complurium Germaniæ urbium tandem apud
nos etiam constituatur, & statuta legesq; condantur;
4 quibus tum Medici, Pharmacopæi & Chæirurgi intra
sui quisq; officij limites coercerentur, tum ab horum
provincia arceantur, jubeanturq; manum abstinere de
8 tabulâ Medicorum homines nefarij & Medicinæ ignari
qui, dicente Plinio, periculis discunt aliorum; qui
Lib. 29. experimenta per mortes agunt: quibus hominem
cap. 1. occidisse impunitas summa est: quibus se Medicos
Professis statim creditur: quum sit periculum in
12 nullo mendacio majus: quib; plebem vestram, cujus
vos Deus custodes ordinabit, inaudito pecuniæ aucupio,
subinde non dicam expilant, emungunt, exhauriunt,
sed, luporum instar, excoriant, exugunt, deglu-
16 bunt.
Digni equidem, in quorum exitium non una paretur
Simia, non serpens unus, non culeus unus.
Valete, & quod facitis, favore me vestro prosequimini.
20 Dabam Rostochij 21. Julij 1619.

Vester

JOANNES ASSVERNS
Amplingius.

PRO-

PROGRAMMA I.

Ὁυο Φιλιάτροι invitantur ad exam-
men simplicium quæ Theriacam
ingrediuntur.

DECANUS ET CÆTE-
RI PROFESSORES FA-
cultatis Medicæ in Academia
Rostochiensis.

ΟΜΝΙΒΥΣ ΦΙΛΙΑΤΡΟΙΣ
S.



THERIACAM Andromachi
ejusq; usum & facultates pluribus de-
cantare, est non Medicas, sed Cir-
cularias promissiones ipsi attribuere,
inquit Galenus de usu Theriacæ ad
Pamphilianum. Quocirca ne nostra quoq; com-
mendatio in calumnias convertatur, unicum in
ejus laudem hoc loco attulisse sit satis, quod idem
asserit Galenus: Neminem ab animali venenato
sanciatum, vel incaute epoto toxico, statim super-
baustâ THERIACA aut extrinsecus impositâ.
Hoc abundè confirmat Mithridatis Ponti & Bithy-
niæ Regis historia, qui usu Mithridaticæ composi-
tionis, ab se factæ, similis Theriacæ, nisi quod vi-
peris careat, ita se munivit & assuescivit, ut nullo
A 3 veni-

4
8
12

veneni genere potest offenderetur. Cum enim per
 duos & quadraginta annos Romanis resistisset (e-
 ratenim Rex potentissimus, cuius Imperio quadrin-
 gentæ naves ex proprijs suberant, equitum quin-
 quaginta millia, peditum ducenta & quinquagin-
 ta millia, qui duarum & viginti gentium, quibus
 imperavit, linguas percussit, earumque gentium
 viris haud unquam per interpretem locutus est.)
 tandem, historiam tum alijs tum Galeno narrante
 lib. de Ther. ad Pis. cap. 16. à Pompejo Magno, bello
 Mithridatico superatus & devictus, in ultima Re-
 gni refugisse dicitur, & mori decrevisse potius,
 quam ad Triumphum reservari, ideoque venenum,
 quod in ensis capulo assidue gestabat, sibi miscuisse;
 Quod ipsum cum duæ ipsius filix Mithridatia &
 Nissa animadvertent, venenum prius sumere po-
 poscerunt. Vehementius itaque instantes, cum illud
 assumpsissent, subito exanimatæ conciderunt. Mi-
 thridates autem, cum festinandæ necis causa idem
 hausisset, nec à veneno confici posset, indignè fe-
 rens se ad triumphum Romam abduci, iussit se à Bi-
 trito Celtarum duce interfici: ferro veneni vicem
 supplente. Galenus interfectorem Bisicum fuisse
 appellatum tradit. Hanc autem resistantiam, ut
 Galenus loquitur, hoc est, veneni resistendi vim
 inde habuit Mithridatium, quod author ejus ipse
 Mithridates Medicæ rei & remediorum quæ venci-
 nis maximopere resistunt esset peritissimus. Nam

ut habetur lib. 1. de Antid. cap. 1. cum medicamen-
 torum quæ venenis adversantur, in hominibus
 morti addictis vim sedulo experiretur, reperit pri-
 varim quædam phalangijs, quædam scorpionibus,
 quædam viperis adversari; item nonnulla aconito,
 alia lepori marino, alia alijs veneno remedium esse.
 Hæc itaq; omnia commiscens Antidorum unam effe-
 cit MITHRIDATIUM à se dictam, cujus usu
 quotidiano ab omni veneni genere se inviolabilem
 præstitit. Hæc ipsius Antidorus ab eo tempore in
 tanto est habita pretio, ut nullus qui alicujus au-
 thoritatis esset, ad fortuitos casus præstò eam non
 habuerit. Tempore verò Neronis Imperatoris com-
 posita fuit alia Antidorus ad Mithridatij similitudi-
 nem, operâ ANDROMACHI SENIORIS,
 Neronis Archiatri, THERIACA dicta, de quâ Autho-
 rem librorum de Antidotis citare juvat, qui lib. 1.
 cap. 1. Subsecutus inquit, multis post an-
 nis Andromachus inter Neronis medicos
 primus, nonnullis additis, quibusdam
 adeptis THERIACAM, quam appel-
 lant, composuit; haud exiguam partem
 carniū viperæ, quibus Mithridatica An-
 tidorus carebat, cæteris admiscens. Sa-
 neq; idcirco Theriaca ad morsus viperæ
 plus Mithridaticâ valet. Hæc ille, qui etiam
 paulò ante dixerat, quòd Theriaca penè antiqua-
 verit Mithridaticam. Utriq; antidoto fidem

maximam conciliat, quod duorum ferè millium
 annorum tempore apud summos Imperatores & Re-
 rum publ. Moderatores in usu semper ac pretio u-
 traq³ fuerit, atq³ etiam nunc, in omnibus officin^{is}
 Medicis bene constitutis, in publicum commodum,
 ad salutem hominum conficiatur & tolerabili pre-
 tio haberi possit. Verum enim vero ut de T H E-
 R I A C A tantum dicamus, quemadmodum ejus vis
 in compluribus interioribus corporis humani affecti-
 bus adversus omnia venena & pestis contagium est
 efficacissima; sic diligenti & accuratâ ratione cir-
 cumspiciendum est, ne quis error in compositione
 ejus committatur. Si enim paulò negligentius, vel
 etiam non adeò bona fide composita fuerit, quan-
 tum non solum egrotantium saluti, sed Medicorum
 etiam doctissimorum existimationi incommodetur,
 nullus, qui in art^{is} operibus versatur, non novit.
 Quia vero exotica T H E R I A C Æ, quæ aliunde
 ad nos adferuntur, admodum dubiæ sunt & suspe-
 ctæ; non enim constat ex quibus medicamentis, le-
 gitimisne an spurijs & falsis compositæ sint, atq³
 amplissimus & prudentissimus hujus urbis S E N A-
 T U S in officinâ suâ Medicâ, quam in civium
 suorum salutem & incolumitatem ante complures
 annos erexit, omniq³ materia Medica instructissi-
 mam habet & conservat, nihil adulterinum pro-
 stare, nihil temerè fieri cupiat aut velit: operam
 aliquoties, & postremò quidem anno 1598.
 sedulo

sedulo dedit, ut hæc ipsa Antidotus ex
 veris, genuinis selectissimisq; simplicibus in offi-
 cina hac sua conficeretur, errorq; omnis & dolus
 ab hac conficiendâ quàm longissime abessent. Cum
 autem facta tum temporis THERIACA, in pluri-
 morum salutem usurpata, jam bonâ ex parte di-
 stracta & absumpta sit, atq; amplissimi Senatus
 Pharmacopœus P E T R U S S C H U L Z I U S,
 vir ob summam diligentiam, industriam & singu-
 larem artis peritiam omnibus nobis commendatissi-
 mus, hanc rursus componere in animum induxerit,
 multoq; labore & singulari studio singula huic com-
 positioni necessaria, sibi comparaverit, eorq; rem-
 perduxerit, ut in hac Antidoto, ex tot simplicibus,
 quibus constat, quàm paucissima *αὐτὸκατὰδὲμὲρ*
 medicamenta requirantur, atq; ex Amplissimi Se-
 natus voluntate hujus administrationem de novo sit
 aggressurus; ut pro diverso Medicorum scopo non
 vetus modò sed etiam recens Theriaca ad manus &
 in promptu nunquam non suppetat: existimavit
 ipse non abs re futurum, si à Facultate nostra Me-
 dica id publicè significaretur, omnesq; Philiatri ad
 Theriaces Dispensationem (quam vocant) à se in-
 stitutam non videndam solum verum etiam acri-
 ter & strenuè examinandam invitarentur: quò-
 tutius & pacatius, procul omni strepitu, publica
 deinceps, jam sat superq; examinata Dispensationis,
 Exhibitio fieri posset, ac demum instantibus æstivis

4

8

12

16

20

24

28

Solibus fermentationi aptis in regione hac nostra sat
 frigida ipsa Compositio seu Commistio in actum de-
 duci: quibus omnibus ordine peractis nulli non pas-
 4 sim constaret Theriacam Rostochiensem non clams
 in angulo aliquo, sed palam auctoritate publicâ, in
 loco publico, adhibitis omnibus solemnitatibus publi-
 8 cis ad hoc requisitis, fuisse Dispensatam, Examina-
 tum, Exhibitam, Commistam. Hortamur itaq;
 omnes Φιλιάτες, imprimis Dnn. Medicinæ DD.
 deinde & Studiosos, ac deniq; omnes in unum
 12 qui se Philiatorum in numero cupiunt censerî, ut
 ad officinam sequentibus hisce diebus accedere, pro-
 posita simplicia & ingredientia inspicere, discutere,
 examinare, ipsamq; dispensandi rationem diligen-
 16 ter contemplari, & sicubi quid fortè invenerint
 admonitione dignum, de eo censuram suam non in
 Publicationis diem differre sed maturè in medium
 adferre dignentur, ac tandem post accuratam sen-
 20 tentiarum collationem auctoritate sua & iudicio
 susceptum opus approbare & confirmare non graven-
 tur. Sicut enim Iurisperiti in sententia Publica-
 24 tione nullum amplius disputationi locū relinquunt,
 sed merum altamq; silentium requirunt & jure po-
 stulant: pari ratione etiam nos dicimus adeoq; & e-
 dicimus, si quisquam fuerit qui in negotio proposito
 in dubium quid vocari posse arbitretur, id ut propo-
 28 nat diebus Examini dicatis, ipso autem publicæ
 Exhibitionis die taceat. Id quod contra illos di-
 ctum

Etiam volumus, qui quod in ædificationem publi-
 cam maturè & iusto tempore fuerat proferendum,
 tacito sub pectore premunt, tantisper dum id tandem
 intempestivè, magno me herculè Φιλαρτίος ar- 4
 gumento, supercilio plusquam arcadico eructandum
 censeant. Examini ergo quicumq; demum sint, cō- 8
 pluribus diebus imò aliquot septimanis ut strenue in-
 cumbant etiam atq; etiam hortamur, & si quas ad
 præsens negotium atinentes quæstiones dubias hæ-
 buerint, de his ut tum cum alijs Facultatis Medicæ
 Professoribus tum verò cum Reipub. Physico ordi- 12
 nario placidè conferant rogamus: ut tandem rite
 peracto Examine, Exhibitioni seu Publicationi lo-
 cus sit, ac de hinc etiam Commissioni. Facient hoc 16
 ipso rem gratam prudentissimo in primis hujus urbis
 Senatui, tum deinde & amplissima Facultati Me-
 dica, & nos quoq; omnibus & singulis hac in re ope-
 ram studiumq; nostrum sedulò præstabimus. Decet 20
 enim nos, ut alias semper, sic etiam hac in parte, nõ
 tantum huic Reipubl sed toti etiam ditioni Mega-
 politanæ, & alijs insuper remotioribus locis, ad quæ
 medicamenta nostra transferuntur, pro viribus pro-
 desse. Precamur autem Deum Opt. Max. ut cæpi
 operis felicissimum largiatur successum. P. P. Rost- 24
 ochiej sub Sigillo Facultatis nostræ X. Martij Anno
 M. DC. XI.

32(0)25

PRO-



PROGRAMMA II.

*Quo ad audiendam orationem
& Actum Publicationis in vitan-
tur Medicina amatores.*

DECANUS ET CÆTE-
RI PROFESSORES FACUL-
tatis Medicæ in Academia
Rostochiensis.

ΟΜΝΙΒΥΣ ΦΙΛΙΑΤΡΟΙΣ
S.



4
3
Nil uspiam est rerum huma-
tum, in quo fraus & impostura, a-
deoq; & perfidia non dominantur;
comitibus philautiâ, arrogantia, &
superbiâ. Cujus quidem rei cum
passim obvia sint exempla; nusquam certè neq; fre-
quentiora, neq; magis enormia cernuntur, quàm
in Arte Medica, quæ præ reliquis Facultatibus om-
nibus hanc misera calamitatem experitur, eò quòd.

*Quisqvis se Medicum fingat: Idiota, Prophanus,
Judeus, Monachus, Histrio, Rasor, Anus.*

12
Hinc illæ tum aliorum, tum Plinij imprimis quere-
læ, quando dicit, *Nullam artem inconstantiorem esse
Medicinâ, nec sapius mutari: quum sit fructuosior
nulla.* Et iterum; *In hac artium solâ evenire, ut uni-
cuiq;*

cuiq; Medicum se professo statim credatur: quum sit
 periculum in nullo mendacio majus. Hæ Plinianæ
 querimonix justæ sunt; siquidem de Artis abusu in-
 telligantur. Videre enim licet homines nonnullos
 omnis scientiæ liberalis extremè rudes, qui, quòd
 Medico aliquot annos sint famulati, mox Medici ti-
 tulum sibi arrogent, Receptis, quas vocant, com-
 pilatis sine judicio, absq; conscientia temerè abuten-
 tes. Quasi verò, qui Medico sandalia purgârit, pro-
 pterea mox ipse sandalium vel ipsius Jovis, ut in
 proverbio est, haberi mereatur. His adhuc inso-
 lentiores sunt illi, qui, postquam aliquandiu in offi-
 cinâ pharmaceuticâ ministraverunt, falcem suam in
 messem medicam mittere, & se apud rudem plebe-
 culam pro rei Medicæ peritissimis venditare, imò
 Medicis ipsis sese anteferre minimè verentur: quo-
 modo olim A R A C H N E in lanificio vel ipsi Mi-
 nervæ anteferri voluit: Et M A R S T A S tibicen-
 Apollinem ipsum ad tibiæ certamen provocare non
 est veritus. Omnium verò impudentissimi sunt A-
 gyrtæ, seu præstigiatores circumforanei, & unguen-
 tarij futiles, qui inter cæteros, quos ignaræ plebi
 fumos sceleratè vendunt, quamcunq; etiam mer-
 dam pro Theriacâ pretiosâ publicè exponere & di-
 vendere non erubescunt. Enim enimverò cum
 Theriaca Andromachi Antidotus sit multis inde à
 seculis, omnium propè gentium ore celebratissima,
 à nullo non veterum scriptorum commendata, de-
 niq; longo usu, atq; experienciâ sic comprobata,
 ut, qui eam pro DIVINA non habeat, nemo
 uspiam prudentiorum hominum reperiatur: fieri
 utiq;

4

8

12

16

20

24

28

utiq; non potuit, quin circa hanc conficiendam
 varia enata fuerint pecuniæ aucupia: quippe, quòd
 ea, quæ ab omnibus maximè expetuntur, turpis lu-
 celli gratiâ, ab hominibus nequam, lucro inhiantibus,
 soleant adulterari maximè: quòd sub specioso
 nomine aditum & viam sibi sternant ad incautorum
 marsupia emungenda; parum solliciti, quid de cor-
 porum incolumitate fiat. Quare sat dignis laudi-
 bus vehi nequit eorum Magistratum cura vigil, qui
 non solum in præstigia ista acriter animadvertunt,
 verùm insuper & hoc agunt, ut in utilitatem publi-
 cam verâ & legitima, quoad ejus fieri potest, The-
 riaca Andromachi & paretur, & tolerabili pretio
 in officinis pharmaceuticis proster. Inter hos certè
 non minimam meretur laudem amplissimus hujus
 Urbis Senatus, qui, cum officinam pharmaceuticam
 foveat rebus aliâs omnibus instructissimam, nequa-
 quam patitur Antidotum tam nobilem in eâ delin-
 derari: operam ad hoc suam haud signiter confe-
 rente Pharmacopæo nostro ordinario, PETRO
 SCHULTETO, viro docto & rei herbariæ
 perquam perito, nec minus dextro & industrio:
 qui deficiente paulatim eâ Theriaca, quam tum
 ipse tum ipsius olim p. m. socer PETRUS VV B-
 G E N E R U S paraverunt, nunc de novo & inte-
 gro, omnia & singula ad Antidotum hanc confici-
 endam, necessaria, tantâ diligentia, conquisivit,
 & adornavit, ut hoc nomine amplissimo Collegio
 Medico operam suam egregiè probaverit. Cum
 autem ad Andromachi Theriacam solenniter con-
 ficiendam quatuor veluti distincti actus requirantur
 nempe

nampe Dispensatio, quam vocant, deinde Examen,
 posthac Publicatio, seu exhibitio publica, & deniq;
 ipsa Commissio; ac jam duo priores, Dispensatio
 inquam & Examen peracti sint: restat, ut reliqui
 etiam duo dehinc peragentur, nimirum Exhibitio
 publica, & Commissio. His ad majorem solennita-
 tem præmittere visum est ORATIONEM DE
 THERIACA. Etsi enim nuper generaliora
 quædam de Theriacâ intimavimus: omnia tamen
 ea, quæ in specie circa Theriacam sunt consideranda,
 longiorem orationem requirunt. Hujus habendæ
 partes cum ab amplissimâ Facultate Medicâ D.
 JOHANNI ASSVERO Ampsingio, Pro-
 fessori & Physico hujus Urbis ordinario, Collegæ &
 amico nostro honorando, demandatæ sint, eamq;
 eras hora ante meridiem 9. in Auditorio magno sit
 recitaturus: rogamus imprimis amplissimum hujus
 urbis Senatûm tanquam Academiæ Patronum, ut
 per Legatos suos auditorium hoc augustius reddere
 dignetur. Deinde etiam Magnificum Dn. Rectorem,
 cæterosq; CL. Dnn. Doctores, Magistros, Professo-
 res, & Artis Medicæ, reliquarumq; scientiarum
 studiosos Juvenes, ut frequentes convenire, & dictæ
 Orationis recitationem suâ præsentia ornare haud
 graventur. P. P. Rostochij 18. April. Anno 1611.

OS (?) OS



MAGNI-

MAGNIFICIS DNN. ACADE-
MIE PATRONIS

Amplissimis Dnn: Consulibus,
Dn. D. HENRICO STALMEISTERO JCo.
Dn. JOANNI CORVINIO,
Dn. BERNHARDO SCHERFENBERGIO
Dn. BARTHOLDO SMIDT:

Consultis: Dn. Syndico,
Dn. D. JOANNI DOMANNO JCo.

Spectatis: Dnn: Officinae Pharma-
ceuticae Praefectis,
Dn. JOACHIMO SCHUTTEN,
Dn. NICOLAO DUNCKER.

Nec non honoratis. toti Senatorio ordin
Reipub. Rostoch.

S.




Magnifici Dnn: Patroni, *Am-*
plissimi Consules, Syndice Consultis. Sena-
tores prudentissimi, Commodè dixit, teste
Cicerone, 2. offic. quicumq; dixit, Pec-
uniam qui habeat, non reddidisse: & qui reddiderit
non jam habere. Gratiam autem & qui retulerit, ha-
bere: & qui habeat, retulisse. Quae quidem sententia
tam singularis Tullio visa est, ut alijs eam duobus in
locis, nimirum Orat. ad Qviris, itemq; Orat. pro Planc-
usur

usurpare non sit veritus. Ego verò quid dicam? Pe-
 cuniam certè neq; multam habeo, neq; reddo, sed pro
 accepto hæcenus à vobis beneficio, utinam, quàm ha-
 beo gratiam, hanc & retulisse aliquò modo videri pos-
 sim! Memini, quãdo primum, à vobis legitime voca-
 tus, in URBEM atq; ACADEMIAM VE-
 STRAM veni, quanta me animorum benevolentia
 fueritis complexi; frustra ringentibus fætis quibus-
 dam simijs, atq; unguibus arrodentibus Suffenis & Sellis
 aliquot, hominibus iniustis, qui rerum omnium volunt
 esse primi, nec reuera, siquidem ad lucem conspician-
 tur, sunt tamen, & qui, nisi quod ipsi faciunt, nil re-
 ctum putant. Ringuntur iidem adhuc, quasi vel sar-
 doà herbâ devorata, vel gingivis acaciæ succo imbu-
 tis, & subindè nobis nescio quid monstri alunt, sænum,
 quod dicitur, in cornu gerentes: quibus ego, vestro
 fretus solito patrocinio, illud Cornici identidem reges-
 serim, Complures invidere mihi & mordere clanculum,
 ego vero flocci pendere. Cedo enim, ecquid, per Jo-
 vem, causa esse possit, cur illos magis quàm unctos
 lapides pronus adorem, quorum neq; mirari eruditio-
 nem oporteat, neq; suspicere pietatem, quæ vel unitâ
 mensurari decempedâ facillimè possit, neq; demum mo-
 rum comitatem exosculari? sed qui solum hoc agunt
 stolidi, ut, quàm intus gerunt animorum ferociam,
 foris contegant, vix quãdod, coactis ad mansuetudi-
 nem supercilij: quippe quæ, velint nolint, sulcane
 invidiâ, ferè striata & variegata illis sint, ceu capris
 cornua. Homines, me herclè, perquàm similes
 Antipatro, de quo olim Alexander Macedo dicebat,
 quod foris quidem albo uteretur pallio, intus verò totus
 effes

4
 8
 12
 16
 esset purpureus. Etsi autem haecenus grati erga vos Animi exhibendi votum excolere non licuit: spem tamen habeo, fore aliquando, ut in numero Clientum Vestrorum & me fuisse palam declarem. Interea Magnifici Dn. Patroni, hac, quam offero, oratione auream vobis vellendam censui, unde grati animi non omnino prorsus adhuc in me deletum esse vestigium cognoscetis. Vester est celeberrimae hujus Reipub. clavus: Vestra est, quam in utilitatem & salutem publicam fovetis, officina pharmaceutica: quamq; nuper in hac composuimus, Theriaca Andromachi, vestra est: denique ipse, qui huic componenda praesui, vester sum. Vestra ergo esse debuit haec etiam de Theriaca Oratio nec ulli merito consecrari, praeterquam solis vobis. Accipite itaq; sereno vultu, de vestro, & a vestro, quod vestrum est, meq; Clientem vestrum, benevolo patrocinio vestro, adversus petulcam hominum quorundam male feriatorum proterviam, tueri pergite. Dabam. Rostochij 19. April. 1611.

Vester Cliens, qui vos colit
& amat.

Joannes Assverus Ampsingius Transisulanus.

 (?) 


O R A T I O

ORATIO
DE THERIACA
SENIORIS ANDRO-
MACHI.



Agnifce Domine
Rector, Amplissimi
Domini Patronorum, Exordium.
Academiae Legati, Re-
verendi clarissimi do-
ctissimiq, Dnn. Docto-

res & Magistri, Collegæ & amici cum
observantia colendi, Nobilissimi, doctis-
simi ornatissimiq, juvenes. Intellexistis
è superioribus Intimationibus amplissi-
mam hujus Academiae Facultatem Me-
dicam in eo esse totam, ut, ad petiti-
onem prudentissimi hujus urbis Senatus,
Theriacam senioris Andromachi, quan-
ta quidem fieri possit diligentia, ador-
net & componat. Actus hanc ad rem
distincti requiruntur quatuor. Dispen-
satio, Examen, Publicatio, Commi-
ssio.

B 2

stio. Duo priores peracti sunt; restant
 posteriores duo peragendi. In medio hor-
 rum, Orationem de Theriaca, recitari
 4 dicta Facultas voluit, atq; hujus habenda
 e provinciam mihi ut Physico hujus Reipub.
 ordinario imposuit. Ego verò et
 8 clarissimis Dominis Collegis meis hoc hono-
 ris pariterq; & laboris non inuidebam.
 parere tamen debui Facultati amplissi-
 ma, cui alias me meaq; omnia debere
 12 haud gravatè fateor. Et quidem, si
 quis aequà lance hanc rem aestimet, opi-
 nor neminem fore doctiorum hominum
 qui materiam hanc non minus arduam
 16 & gravem, quàm utilem & necessa-
 riam arbitrabitur. Utinam nostra te-
 nuitas sic huic rei possit satisfacere ut
 neq; laudem neq; vituperium hinc repor-
 20 temus, sed solum intra mediocritatem
 officium nostrum fecisse aequioribus au-
 ditorum auribus & judicijs videri possi-
 mus. Itaq; sicut omnibus & singulis,
 24 quòd huc accedere dignati estis, quan-
 tam possum gratiam habeo: ita pariter
 omnes & singulos officiosè rogo, ut, rei,
 de

de qua agitur, dignitate, praestantia, utilitate, deniq; & necessitate pellecti & adducti, animis benevolis atq; auribus attentis dicturum me audiat.

4.

Non imitabor autem communem Rhetorum atq; Oratorum morem, qui phalerato dicendi genere res saepe viles in ipsum usq; caelum attollunt. Sed cum nuda & simplex esse debeat veritatis oratio, & thema quod tractaturi sumus, nempe Theriaca senioris Andromachi, vel praestantissimi cujusq; Oratoris eloquentiae flumen dignitate praestantia & magnitudine sua longè superet: nos genus dicendi simplex in hoc tractando sectabimur, & methodum tenebimus non tam Oratoriam quam Logicam, per eas quaestiones decurrendo, quas Logici in quaestione simplici pertractanda ut plurimum tenere solent.

8.

12.

19.

20.

Propositionis ergo vicem in hac oratione nostra gerent septem sequentes methodi quaestiones. 1. Primum de Theriaces nomine agam. 2. Mox Genus proximum quaram. 3. Deinde Differentiam.

Propositio.

24.

B 3 ren.

rentias. 4. Quarto tria Causarum genera referam, nimirum Efficientem, Finem & Formam. Materiam cum in Examine consideraverimus: hoc jam loca ad amissum non edisseremus. 5. Quinto ex conquisitis Definitionem, aut certe Descriptionem extruam. 6. Sexto Cognata Theriaces, ac demum. 7. Pugnancia attingam.

1.
Nomen: De nomine seu vocabulo Theriacae
lib. de Ther. ad Pisonem cap. 5. hac leguntur Galeni verba. Illud, inquit Galenus, tantum prius dicam, Theriacam duabus de causis merito & ab eo qui sic ipsam admiscuit & à nobis deinceps appellatam: Simul quia serpentum moribus maxime succurrit, simul quia viperinas carnes admixtas habet. Quæ quidem Galeni verba tum clara & perspicua erunt, si quidem intelligamus Galenum Græcorum vocabulo *ἴησις* seu *ἴησις*, quod nonnulli generale faciunt, non generaliter seu communiter uti pro qualibet fera, sed proprie pro eo solum ferarum genere, quæ

quæ venenata sunt, maximè autem & potissimum, ut in altera adducta ratione patet, per hoc vocabulum intelligere viperam. Propter priorem adductam

4

Galeni rationem omnia in universum medicamenta quacung, vel serpentum morsibus succurrunt, vel alijs omninò venenis resistunt, ab effectu dicuntur

8

Theriaca. Eadem Arabibus Bezoardica ob eandem rationem appellantur.

Græcis Antidoti seu Antidota. Consimilis Alexiteriorum & Alexipharmacorum & Prophylacticorum est ratio.

12

Talia verbi gratia sunt Mithridatium,

Confectio Alchermes, & similia Composita plura. Tum & Simplicia, ut Lapis

16

Bezoar, Allium, Centaurium, aliag, innumera. At verò secunda Galeni ratio soli competit Theriaca Andromachi.

Hic enim primus carnes Viperinas Theriaca miscuit, referente Galeno jam cita-

20

to libro de Ther. ad Pis. cap. 5. Cum

autem vipera mas Græcis dicatur exis,

24

& femina exidyn: nullam certè meo quidem iudicio reprehensionem merentur

B 4

illi

illi, qui, ob posteriorem à Galeno traditam
 nominis rationem, putant Theriacam ve-
 tē dici posse Echidniam, ac si cum Ga-
 leno dicant, ἀντίδοτον δι' ἐχιδνῶν. Porro
 notanda sunt Theriaca Epibeta, quod
 in carmine Andromachus eam appellet
 γαλήνην, id est serenam seu tranquillam,
 nimirum ab effectu, quod tranquillita-
 tem in morborum tempestate præstet, et
 differente Galeno ad Pis. cap. 15. Ean-
 dem ἰλαρῶν ἔνδιον à nonnullis dici an-
 notavit Jo. Baptista Silvaticus, eadem
 prorsus nominis etymologiam, quod nimi-
 rum utentem reddat hilarem, serenum,
 tranquillum, faustum.

Dixi de Theriaces Nomine: con-
 sequens est, jam hujus ut Genus proxi-
 mum indagemus. Galenus ubiq; eam
 appellat Antidotum. nec vivit qui pro-
 prius Genus dare possit. Quamquam
 synonymis lascivire neminem prohibea-
 mus. Sit ergo Antidotus seu Antido-
 tum, sit Alexiterium, sit Alexiphar-
 macum, sit Prophylacticum. Nobis
 placet Antidotus, siquidem generatim
 de

Genus pro-
 ximum.

de Theriaca sermo sit: Sin autem in specie Theriaces Andromachi Genus proximum quæritur? dico esse Theriacam. Itane verò, inferat tyrunculus aliquis, Idem per idem definit? Non, inquam, Neque enim simpliciter Theriacam definitio per Theriacam, sed specialem Andromachi Theriacam definitio per generale Theriaces vocabulum. Qui sic ogganniunt, ipsi discant meliora. Homo Africanus definitur homo, Equus Calaber definitur equus, Leo Indicus definitur Leo, Morbus Similaris definitur morbus &c. nec tamen in his omnibus idem per idem definitur, sed inferius per superius. Concludimus ergo Theriaces simpliciter sumpta Genus proximum esse Antidotum: Theriaces autem Andromachi in specie, genus proximum esse Theriacam.

4

8

12

16

20

3.

Differētias,
Ab Efficiente:

24

Posito Theriaces Genere proximo, deinceps quærenda sunt differentia. Imprimis spectanda veniunt differentia quas ab Efficiente seu à primis Inventoribus tradit Galenus, libro semel in hac

B s mate

materiâ nobis proposito, nempe de Ther.
 ad Pisonem cap. 12. Percenset autem
 4 quinque diversos Theriacæ Authores,
 & quidem primo loco ipsum ponit An-
 dromachum, non ordinis seu ætatis sed
 solum dignitatis ratione. Ille enim tan-
 8 de theriacæ carnes viperinas admiscuit,
 uti habetur lib. ad Pis. cap. 5. Secundo
 loco Xenocratem statuit, atq; hunc
 non exiguum studium hisce rebus adhibi-
 12 buisse. Tertium adducit Damocratem,
 magnis laudibus, nam vocat eum Me-
 dicum optimum, qui integrum librum
 versibus accuratè conscripserit de com-
 16 positione Antidotorum. Quarto loco
 collocat Magnum, qui istâ tempestate
 Præses Medicorum fuerit. Et tandem
 quinto loco Demetrium, qui & ipse illâ
 20 ætate Medicis præfederit. Atq; ista
 quidem Differentiæ Theriacæ à primis
 Inventoribus seu Authoribus apud Gale-
 num sunt. De industria illos omitto
 24 qui nostra ætate Theriacam reformare
 in animum induxerunt. De his ali-
 quid videre est apud Josephum Querce-
 tantum

tantum in Pharmacopœa cap. 23. pag. 519. & in Antidotario Augustano. Certè Medici Romani & Bononienses in hanc messem egregiè falcem suam miserunt. Bartholomæus Marantha, Foësius, Fuchsius, Rondeletius, alijs, quam plurimi non parum in componenda Theriaca discrepant, ut de Quercetano nihil dicam, qui penè novam condidit.

Non minor est Differentia quæ à Materia materia, hoc est, ab Ingredientium diversitate eorumq; pondere, mensura, & dosi desumitur. Enimverò Theriaca Xenocratis, referente Galeno ad Pison. cap. 12. in eo à Theriaca Andromachi differebat, quod Andromachus quatuor sagapeni drachmas poneret, ille vero duas. De Damocrate idem perhibet, quod pondere ab alijs discreparet. Nam quædam quorum alijs quatuor drachmas accipiebant, hic duas sumebat, & rursus quædam ex quibus alijs duas imponebant, ipse quatuor immittebat. Magnus etiam reliqua quidem omnia sicut alijs

A Materia.

12

16

20

24

alij consueverant, servabat: in Cinnamomo solum discordabat: dupli enim Cinnamomi Theriaca commiscebat. Idem & de Chalcitide & de Sagapeno ab Andromacho dissentiebat. Nam, ut Xenocrates, duas drachmas injiciebat, cum tamen Andromachus quatuor imponeret. In Sagapeno autem & à Damocrate evariabat: Damocrates enim quatuor drachmas adhibebat, Magnus duas. Vino præterea Magnus mensuram adscribebat, volebat enim sextarios duos ipsam implere, cum alij, sicuti par est; quavis mensura, quantum satis videatur, uteretur. Demetrius denique omnibus in rebus, Andromachum secutus, antidotum componebat, tantum in pondere pastillorum scillinorum evariabat & ab illo & à cæteris: Nam illi 48. drachmas cum immitterent, ipse 46. tantum admiscebat. Omnia hæc ex Galeno hæctenus descripsi. Quibus addo ne ipsum quidem Andromachum juniorem de ingredientium dosi ad amissum congruisse cum Andromacho seniore, ut liquet in Piperis & Sagapeno. Nam pater Piper lon-

longum collocat in secunda classe pondere 24. drachmarum : contra filius idem in quarta classe ponit pondere drachmarum 6. Pater Piper nigrum pondere 6. drachmarum in quarta classe statuit : contra filius idem in classe secunda pondere 24. drachmarum reponit. Pater Sagapenum ad classem quintam pondere quatuor drachmarum refert : è diverso filius idem pondere 2. drachmarum in classe sexta statuit. Præterea descriptioni Andromachi junioris quædam accesserunt, quæ in descriptione Senioris non habentur, v. g. acorus & abrotanum. Et certè cum junioris Andromachi Theriaca non sit carmine conscripta: facile potuit tot seculorum decursu aliquid in ea erroris contingere. Atq; hæc quidem hætenus de Theriacis veterum : ut illas interim silentio præteream quæ à Rhasi, Avicennâ, Mesue, Serapione, Paulo, Oribasio, Aëtio, Myrepsso, & alijs sunt descriptæ.

Posteris deinde temporibus paulatim major crevit Neotericis licentia mutandi

4
8
12
16
20
24

tandi Theriacam. Qua de re citare
 juvat verba Josephi Quercetani, in
 Pharmacopœa cap. 23. Sunt quidam
 inquit, præclari Medici, qui in The-
 riacæ compositione ausi fuerunt uti
 Diminutione, Additione & Corre-
 ctione, Et in ejusdem dispensationis
 methodo alium Ordinem, quàm Ga-
 lenus, observârunt. Romani & Bo-
 nonienses medici addiderunt trochi-
 scos Camphoræ, & loco rosarum
 substituerunt earundem Extractum.
 Ipsimet etiam adjecerunt insuper
 baccas Lauri, omnia Myrobalano-
 rum genera, Radices Angelicæ, Ze-
 doariæ, Imperatoriæ, Vincetoxici,
 Afari, Serpentariæ, Enulæ camp-
 næ, Pimpinellam, Scabiosam, Cor-
 nu cervi vitum, & ejusmodi Simpli-
 cia, quæ hodie tanquam specifica
 remedia præscribuntur contra pe-
 stem & venena. Bartholomæus
 Marantha vir doctissimus eodem
 jure ut cœteri in præparatione &
 mixtione Theriacæ alium ordinem,
 quam

quàm Galenus, sequitur, & vult ut
 simplicia humida, & succi, gummi
 & lachrymæ dissolvantur in vino ge-
 nerofo quale est malvaticum, cujus
 ad eundem usum accipit unc. 40.
 quæ faciunt duas pintas Parisienses
 aut circiter. Hæc ille. Quibus tandem
 suam ipse Theriacem Reformationem su-
 bjicit, quâ materialem simplicium cor-
 ticem abjiciendo, eorundem nucleum for-
 malem, ut loquitur, solum in Theria-
 ces compositionem infert. Neque hoc
 tantum, verum nonnulla etiam Simpli-
 cia, puta Rhabarbarum, Agaricum
 & Chalcitidem funditus è Theriaca
 extirpat, & præforibus locum habere
 jubet. FERNELIUS etiam Medico-
 rum nostri seculi Coriphaus, vir judicij
 longè exactissimi, censuit Chalcitidem
 in compositione Theriaca utiliter præter-
 mitti posse, quod idem & Valerius Cor-
 dus sensit, rationem reddentibus tum
 Plancio tum etiam Josepho Qercede-
 tano. Nihil jam hic dicam de viro
 incomparabili Thoma Erasto, qui id
 obni-

4

8

12

16

20

24

obnixè egit, ut Angelicam aliquo loco in
Theriaca poneret. Nihil de alijs innu-
meris, qui in Succedaneorum delectu au-
nauseam usq; luxuriaverunt.

Dicat verò aliquis quorsum tan-
dem hac tam multa? Itane rogas? San-
quidem, duplicem mehercule in finem
1. Imprimis & ante omnia os obturare
oportet ijs Sycophantis, qui hac in urbe
spargunt adornare nos dispensationem
& compositionem non Theriacem, sed
cujusdam alterius. Seu, ut planius dic-
cam, quod nos paramus, ajunt Arcades
illi ante Lunam nati, id non Theriacum
est, sed quaedam res alia. Videtis am-
plissimi Domini Patroni, videtis hono-
ratissimi officinae praefecti, videtis claris-
simi excellentissimiq; Medici, Domini
Collegæ & amici cum observantia colen-
di, quorsum virulenta ejusmodi pec-
dum diæteria vergant, nimirum in ur-
bis hujus contumeliam, in officinae vestre
pharmaceuticae contemptum, in amplis-
sima Facultatis Medicae despectum, in
ipsius deniq; Theriacopæi extremam
igno-

ignominiam. Utinam sanè, atq; equi-
dem, iterum dico, ô utinam Sycophanta
isti & Calumniatores dicterij istius sui
aliquam rationem redderent! Vide-
rent sanè atq; eadè etiam sentirent non
deesse nobis pondus nugamentis ejusmodi
ad amissim confutandis. Quid autem
faciamus? cum negotium nobis sit cum
id genus Aristarchis, qui, dicente Comi-
co, omnium rerum volunt esse primi nec
sunt tamen, & qui nisi quod ipsi fa-
ciunt nil rectum putant. Abundent
sanè isti & vel ad nauseam usq; fruan-
sensu suo, modò nobis non desit nostri fa-
cti tum ratio idonea tum Authoritas.
Agedum adeste Sycophanta; dicite,
Ecquid tandem videtur vobis de The-
riacis Xenocratis, Damocratis, Magni,
Demetrii? Non erant illæ Theriaca
Andromachi: nec spoliavit tamen eas
propterea nomine Theriaces Galenus.
Non dixit eas esse res quasdam alias,
propter aliquot simplicium differentias,
propterg; dosin alicubi diversam, Non
vocavit viros istos Barbaros, sicut Ita-
lus

4
8
12
16
20
24

C

lus ille Marantha libri sui de Ther. cap. 4.
 4. exteros medicos hoc nomine satis super-
 ciliosè indigitat: sed suis eos elogijs ce-
 lebrat. Xenocratem à studio & indu-
 stria commendat, Damocratem vocat
 medicum optimum, Magnum & Deme-
 8. trium medicorum præsides appellat. Di-
 scere hanc à Galeno modestiam Sycophan-
 ta nostri poterant: non esse propterea
 studium nostrum reprehendendum, si
 12. in componenda Theriaca Andromachis
 cum alijs celeberrimis totâ Europâ Me-
 dicis, in quorundam defectu, quibus-
 dam utamur succedaneis, quæ αὐτὸν ἀ-
 16. δόψα Græci vocant. Quod si pro-
 pter cavillum hoc nos cum Theriaca no-
 stra sumus de gradu deturbandi: jam
 sanè unâ nobiscum ruant Medici Roma-
 20. ni & Bononienses, ruat ipse Bartholo-
 meus Marantha, ruat Fernelius, ruat
 Erastus, ruat Quercetanus, ruant de-
 24. nig, omnes in universum medici, quot
 quot toto orbe Christiano hætenus inge-
 nij dexteritate aeternam nominis glo-
 riam sunt consecuti: Itali, Galli, Hi-
 Spani

Spani, Angli, Scoti, Germani, Belgæ.
 Ruant inquam omnes isti, & communi
 nobiscum sortis aleâ fruantur, si nos ob
 usum quorundam succedaneorum cum
 Theriaca nostra in exilium sumus mit-
 tendi. 2. Deinde verò id etiam atq;
 etiam apud Galenum citato loco obser-
 vare debemus. Etsi alia Theriaca suis
 laudibus non sint fraudanda: ex senten-
 tia tamen Galeni omnium optimam &
 præstantissimam censei, Theriacam
 Andromachi, & quidem Andromachi
 Senioris: quæ, quòd carmine & liga-
 ta oratione conscripta sit, tot jam secu-
 lorum decursu, certior stare & permã-
 nere potuerit. Insistant itaq; per nos,
 qui volent, exemplo Romanorum &
 Bononiensium, & vel sexcenta, si pla-
 cet, Theriaca addant. Alij Quercet-
 anum secuti, materialem simplicium
 corticem ut inutilem, si Dijs placet, a-
 bijciant: nos, quantum quidem pote-
 rimus, normam & ductum sequemur
 senioris Andromachi: quem solum hoc
 in negotio Authorem Ducem & Antesi-

7

8

12

16

20

24

gnanum profiteamur, cum Galeno lib. 1.
 de Antidotis cap. 1. ubi disertè scribit,
 se, in ea Theriaca quam confecerat Aure-
 4 lio Antonino Imperatori, neq; omisisse neq;
 addidisse quicquam, sed ea solum impos-
 5 sisse, quæ ab antiquis Imperatorum me-
 dicis imponi consueti fuerat. In succeda-
 6 neis verò deligendis eorum consilium se-
 quemur, quorum authoritas vix ac ne
 vix quidem in dubium vocari possit, &
 cum quibus nostri Aristarchi ne à mille
 12 quidem parasangis sint conferendi.

Jam verò neq; illa videtur praterer-
 unda Theriaces differentia, quam A-
 vicennas tradidit ab ætate lib. 5. Sum-
 16 ubi Theriaca Infantiam attribuit, &
 Pubertatem, & Adolescentiam & Senec-
 17 tutem & deniq; Mortem: quippe quod
 pro diversâ ætate diversa in Theriaca
 20 vires emicent. Galenus Theriacam
 quadrimestrem splendida Romana mu-
 lueri exhibuit pro narcotico: opij vir-
 24 tibus nondum per fermentationem fra-
 ctis. lib. 5. meth. cap. 13. Post quinq;
 tum & septimum annum adversus ve-
 nena

vena est valentissima & potentissima, duratq; ea vis ad annos triginta. Anno duodecimo, peractâ jam concoctione, qualitatum in eâ manifestarum virtus efflorescit seq; exerit in morbis profligandis manifestis, ad annû usq; sexagesimû: à quo deinceps tempore langvescit evaditq; paulatim debilis admodum & imbecillis. lib. ad Pison. cap. 14. Quâ quidem de re mox plura, quando de Fermentatione erit differendum.

4
8

Claudo itaq; jam hic caput de Differentijs, & ad Causas me confero. Nemo uspiam est veterum, nemo neotericorum scriptorum, qui non Theriacam Medicamentum appellet DIVINUM: Demens ergo sim, si testimonijs hujus rei conquirendis insistam. Quod si itaq; Theriaca est divina: Deum hujus authorem esse, est consentaneum; ut, qui hodie Theriacam volunt corrigere, non inconcinnè dici possint, velle corrigere Magnificat quod bene stat. Pandit hic selatus dicendi campus, siquidem Rhetorum amplificandi

12
4
Causa.
10
Efficiens.
24

C 3

candi

PAG. 38 ORAT. DE THERIACA
candirationem & occasionem captare
velim. Sola Divinitas Theriaca singu-
larem orationem requirit: qua dicendi
prolixitas hic nostri jam instituti non
est. Post Deum inter causas Theriacae
Efficientes secundum locum merentur
orbis Monarcha, Imperatores, Reges &
Principes: attestante Galeno lib. de
Ther. ad Pisonem, cap. 2. Inter hos
verò maximè celebrat Galenus Impera-
torem Marcum Antoninum, qui corpo-
poris sui temperamentum exactà pru-
dentiâ cognoverit; & singulis diebus
Theriacâ quasi delicato quodam cibo
usus fuerit, ideòq; ait, ab hoc Imperato-
re auctoritatem huic medicamento cre-
visse ampliorem. Reliquos verò deinde
Imperatores usum Antidoti per manus
tradita fecisse publicum: quippe à qui-
bus petere omnibus liceret Theriacam,
& qui libenter in universos omnia bona
Deos imitati, conferrent, maximam
imperandi partem arbitantes commu-
nis salutis procurationem. Neq; enim
Imperatores isti de Theriacâ solummodo
curam

curam habebant : verum ita erant omnibus in rebus benigni, ut, si quando quispiam amicorum antidoto egeret, mirandum fuerit, quanta promptitudine quantaq; animi propensione ipsam communicarent. Hac Galenus. Tertia laus debetur Archiatri seu Principum Medicis, & qui his operam suam navarunt, Pharmacopæis. Inter hos verò primas facile tenet ipse Andromachus, qui Imperatoris Neronis fuit Archiater, seu inter Neronis medicos primus, perhibente Galeno lib. I. de Antidotis cap. I. & lib. de Ther. ad Pison. cap. 5. Prædicat hunc magnis laudibus Galenus dicto lib. de Ther. ad Pisonem cap. I. ubi dicit, virum hunc fuisse artem medicam ad summum usq; edoctum, nec faciendo solum sed dicendo etiam vehementer exercitatum : quamobrem reliquos medicos ab suæ tempestatis Imperatoribus antea creditus sit, cui forsitan & patria aliquid, ad medicinam optimè consequendam, attulerit. Nam ex insula Creta genus ducebat, quam credibile

4

8

12

16

20

24

fuit, ut multas herbas, sic talem virum
 producere potuisse, qui humano generi
 salutarem Antidotum componeret. Hæc
 de Andromacho Galenus.

Causis Efficientibus, recte finem
 Theriaca subjungo. Hunc triplicem
 Galenus statuit lib. 1. de Antid. cap. 1.
 sequentibus verbis. Medicamenta
 inquit, quæ non extrinsecus imposita
 sed intrus assumpta malas corporis
 affectiones sanant, Antidotos Me-
 dici vocant, quarum tres sunt omnes
 differentiæ. Nam adversus exitiales
 potiones quædam faciunt, Quædam
 ad feras valent quæ venenum icæ
 morsu relinquant. Quædam
 exitis mala victus ratione morbis
 auxiliantur. Nonnullæ verò tria
 hæc simul pollicentur: cujusmodi
 est illa quam Theriacam vocant &c.
 Ad hos tres fines referuntur, quæ
 cunq; de viribus effectu atq; usu Theria-
 cæ apud Galenum toto libro de Ther.
 ad Pisonem, præsertim cap. 14. in fine,
 & cap. 15. toto & 16. præterea libro
 ad

ad Pamphilianum de usu Theriaca, atq;
 hinc inde in libris de Antidotis & ali-
 bi leguntur. E quibus longam hic ora-
 tionem texere possem, nisi brevitati stu-
 derem. Satis esse arbitror vel digito
 demonstrasse, unde locus hic extendi
 & amplificari possit. Est Galenus no-
 ster ubiq; multus & fusus, quem coarctare
 & quasi in gyrum cogere, hac nobis
 oratione propositum est.

Celebratur à nonnullis dictum quod-
 dam viri cujusdam magni, qui dixit
 Validiora esse Exempla quàm verba,
 & plenius opere doceri quàm voce.
 Id huic loco aptare quàm maximè ex
 usu erit. Ut itaq; effectus Theriaces
 exemplis illustremus: ad id primùm mor-
 borum Genus nos conferamus, quod ge-
 neratur à mala victus ratione. Quid
 in hoc genus morbis profligandis valeat
 Theriaca, Galenus noster tum alibi, tum
 verò capitibus 15. & 16. ad Pisonem
 demonstravit, adductis subinde exemplis
 experienciâ compertis. Quæ si huc
 omnia & singula adferre velim, preli-

xior sanè fuero, quàm huic instituto con-
 veniat: Itaq; Auditorem de hoc exem-
 plorum genere ad ipsummet Galenum le-
 gendum remitto.

Illud verò nequaquam videtur si-
 lentio praterendum, quod citato loco
 Galenus tradat etiam adversus Pestem
 vel maximè valere Theriacam: cum
 Pests, vel citra pravam victus ratio-
 nem, citraq; manifesta putredinis indi-
 cia, quandoq; à sola perniciofa syderum
 influentia oriatur, quandoq; etiam à
 causis pariter epidemijs & endemijs:
 Undè & exquisita Pests morbus verè
 est Epidemius, non exquisita autem mor-
 bus potiùs Endemius. At verò morbi
 à malà victus ratione orti, non alij sint
 quàm dispersi & privati. Sanè quidem,
 admirabilis prorsus & humano ingenio
 impervestigabilis est illa Venenorum
 analogia: undè nec mirum si neq; id per-
 vestigare possimus, qua ratione unum
 idemq; Alexiterium tot tantisq; tamque
 diversis venenis unà eademq; operà re-
 sistat. Hac (si quidem possent) ratio-
 nibus

nibus arithmeti-
 cis aliisvè mathematicis
 ad amissim edisserere nobis deberent
 scioli quidam, qui exactam simplicium
 numeri, tum & ponderum rationem in
 compositione Theriaca, nescio quo super-
 cilio, exigunt: hoc nimirum ab alijs po-
 stulantes, quod neq; ipsi prestare queant,
 neq; ullus unquam hactenus prestavit
 mortalium. Hunc jam itaq; quartum
 Theriaca finem addere liceat tribus illis
 nuper à Galeno positis.

Venio nunc ad ea exempla, quae
 Theriaca vim & efficaciam adversus
 venena intrò sumpta comprobant. Ad
 quem locum cum & Medicamenta ca-
 thartica seu purgantia referantur: ju-
 vat de his primo loco dicere. Scribit
 Galenus lib. ad Pis. cap. 2. hanc cer-
 tissimam esse probam, quâ Theriacam
 veram ab adulterata liceat dinoscere.
 Datâ, inquit, prius Theriacâ, postmo-
 dum exhibemus medicinam alvum sub-
 ducentem, ac si qui assumpsit non purga-
 tur: optimam judicamus Antidotum:
 fuisse, quoniam purgari prohibuit eum,
 qui

4

8

12

16

20

24

qui

4 qui purgantem medicinam assumpserat.
 Idem repetit ejusdem libri cap. 14. Non
 8 possum non hoc loco aurem vellicare
 Sello Senecioni, ut ut fremat invidias,
 quem olim intempestivo & temerario et-
 lebori usu in presens vitæ discrimen ad-
 ductum, ope Theriaces ex ipsis orci fau-
 cibus eripui, atq; ut angvem Æsopicum
 12 propè enecatam jamq; morti vicinam,
 in vita servavi, adeoq; & in sinu fovi.
 Credo, siquidem denuò juvet ejusdem
 rei periculum facere: non plus commodi
 persensurum ex formali Theriaca. Quer-
 cetani, quàm tum persensit ex materiali
 16 illa Galeni.

20 Pergo ad venena, de quibus Gale-
 nus lib. ad Pis. cap. 10. ut summatim
 inquit, laudes hujus Antidoti com-
 plectar, totum corpus ita disponit
 ut ab ulla re noxiâ non corrumpatur.
 Hanc autem resistantiam procreat
 24 ram varia & efficax tot medicina-
 rum compositio, & præsertim quæ
 ipsam ingrediuntur viperæ. Hæc
 Galenus, quæ mox illustrat comparatio-
 nes

ne Mithridatij cum Theriaca : ut constet de venenis intrò sumptis sermonem esse institutum. Idem repetit lib. I.

de Antidotis cap. i. adducto exemplo Antonini Imperatoris. Quod si quis,

inquit, singulis diebus, quemadmodum tempestate nostra Aurelius Antoninus Imperator, antidotum capiat: nullis noxijs potionibus lædetur. Illa

quæ præterea habet de Mithridatio, alio erunt loco referenda. Cum autem Galenus lib. ad Pis. cap. 2. doceat, quo pa-

cto ipse solitus sit Theriaca examina instituire in gallinaceis sylvestribus: referam haud gravatè, quid nobis hic Ro-

stockij evenerit nuper in tribus pullis columbarum, quorum duo uno è nido erant exempti, tertius viribus aliquanto inferior aliundè desumptus. Singulis in-

forma boli exhibitus fuit Arsenici scrup. s. Mox pullis valentioribus eodem è nido exemptis, ad normam Galeni lib. i. de Antid. cap. i. uni quidem Lapidis Be-

zar. gr. vij. ex aqua scordij ingesta sunt: alteri verò cornu cervi scrup. j. cum eadem

dem

dem

dem

dem

dem

dem

4

8

12.

Historia.

16

20.

24.

dem aqua subactus per rostrum & collum
 fuit intrusus. Tertius reliquis infir-
 mior, Theriaca drachmam j. deglutire
 4 coactus fuit. Non multo post, nimi-
 rum intra dimidium horæ spatium, duo
 illi qui lapidem Bezar & Cornu cervi
 8 sumpserant, in vomitum fuerunt soluti,
 moxq; expirarunt. Tertius verò imbe-
 cillior ille, Theriacophagus, neq; vomuit
 neq; mortuus est: tantum pennarum
 12 plumarumq; jacturam fecit. Super-
 vixit implumis ad septimanas circiter
 quatuor, tandem non mortuus sed famu-
 lorum famularumq; incuriã amissus nus-
 16 quam amplius comparuit. Atq; hæc
 quidem hætenus de Theriaca viribus
 adversus venenum intro sumptum.

Reliqua sunt exempla quæ effica-
 20 ciam Theriaces adversus jetsus & mor-
 sus virulentarum bestiarum contesten-
 tur. Verba sunt Galeni lib. de Theri-
 ad Pis. cap. 2. Nullus unquam tradi-
 24 tur occubuisse, qui commorsus ab hi-
 sce feris quæ consueverunt necare,
 theriacam subito sumpsisset. Ac si
 quis

quis prius ipsam bibat, indeq; paulo post ab aliquo serpente feriat, irritum esse venenum illud compertum est.

Quod sæpenumerò complures Magistratus, qui mortis & vitæ potestatem habent, & utrum quæ promittit Antidotus, præstare queat, dignoscere volunt in hominibus ob aliquod perpetratum facinus carnificinæ adjudicatis experiuntur.

Nos autem, qui in hominibus periculum facere non possumus, in alijs quibusdam animalibus verum de ipsa iudicium sumere tentamus.

Accipimus enim gallos non domi enutritos & contubernales nostros, verum sylvestres, sicciori cum sint temperaturâ, deinde injectis serpentibus, illos qui theriacam non biberint, illicò mori videmus; alios autem qui biberunt

consiliter & vitam etiam post ictum retinere. *Hac hætenus Galenus, quibus nos exemplū addemus, quod anno elapso 1610, mense septembri, hac in urbe nostra, nobis videntibus, contigit.*

Juvenes alii
quor

Historia

quot Gedano solverant navigaturi La-
 becam. Cum vento adverso usi littus
 legerent agri Rostochiani, visâ scaphâ
 4 quadam piscatoriâ, petiverunt in littus
 festi, reliquum itineris terrâ confecturi.
 Postquam è cymba descendissent, non
 procul à maris littore, viâ qua tendebant
 8 per carectâ quadam, ingens quidam ser-
 pens repebat, quem unus sodalium, e va-
 ginato ense, dissecuit medium. Tum
 12 alter, qui non ita pridem ex Italia vene-
 rat, pulvere nescio quo Bezoartico è ser-
 pentibus confectò, premunitus, in clama-
 vit id minimè factum oportuisse, sed se
 16 manibus eum fuisse prehensurum, & cõ-
 tra omnem noxam in urbem importaturum
 vivum. Quo dicto, ut rei fidem
 faceret, mox dissectas serpentis partes
 20 manibus corripuit. Sed pars superior
 adhuc viva, cum manu Juvenis compre-
 hensa teneretur, sese aliquantulum in-
 torquens digitum illi invasit annula-
 rem, & paulo supra unguem homi-
 24 nem memordit, ita ut dentium vestigia
 postmodum manifestè liceret conspiciere.
 Tum

Tum mox homini digitus ille, ac conti-
 nuò manus tota, deinde & brachium in-
 tumescere. Quo viso, socij tandem su-
 pra cubitum vinculum inijcere, & ne
 ulterius serperet, venenum cohibere, &
 sic hominem saucium in urbem perduce-
 re, ibiq; cheirurgi cujusdam primarij,
 M. Bartholdi Peitzkeri opem & con-
 silium implorare: qui cognito negotio,
 author fuit ut me evestigio adirent,
 meumq; consilium rogarent. Ego verò
 animadvertens periculum in mora esse,
 statim Theriacam homini saucio exhibui
 ex aqua carduibenedicti, simulq; cucur-
 bitulas adhiberi jussi loco affecto cum
 scarificatione, Tum deinde partes ser-
 pentis vulneri imponi, ac mox parari
 medicamentum ex theriacâ, bolo arme-
 nâ, aquâ carduibenedicti & acetose,
 addito pauco aceto vini. In quo medi-
 camento sic commixto lintea intinge-
 bantur, & non loco solum affecto sed
 etiam partibus vicinis imponebantur,
 cum forti ligatura desuper ab humero ad
 cubitum usq; in eum locum facta, ubi
D
liga-

4

8

12

16

20

24

ligamentum injectum erat, quod ita
 constrictum adhuc relinquebamus. In-
 4 terim, siquidem cibum appeteret, jube-
 bam brodium (quod vocant) offerri cum
 multo butyro. Postero iterum mane The-
 8 riacam exhibui. Circa vesperam, cum me-
 tueremus sub costricto vinculo paulatim
 mortificationem, ut loquuntur, seu gan-
 granam oriri posse: illud solvendum
 censuimus, sed denuo partibus internis
 12 theriacam pramunitis. Non multo post
 solutum vinculum ager in vomitum so-
 lutus est, evomitque multam materiam
 viscidam lividi coloris, & venenum
 16 jam dispersum, aliquot locis in facie,
 presertim in labris erupit, excitatis mul-
 tis pustulis. Tum deinceps quotidie
 continuato haustu Theriaca, & brodio
 pingvi butyro, locus affectus sensim de-
 20 tumuit, cepitque ager valetudinem pristina-
 nam recuperare indies. Atque hoc quoniam
 dem illud est exemplum, quod ipsi hac in
 urbe nostram vidimus.

24 Caeterum de modo utendi Theriacam,
 de qua, justa hujus dosi, qui volet, Gale-
 num

num legat, lib. ad Pis. cap. 14. & 17.
Præterea lib. ad Pamphilianum, quò
unico capite absolvitur. Tum deinde
lib. 1. de Antidotis cap. 1. Quibus in
locis varia Theriaces dosis à Galeno præ-
scribitur. Antoninus Imperator, quo
se tutum à veneno præstaret, singulis die-
bus tantum Theriaca quanta est Ægy-
ptiæ fabæ magnitudo sumebat, inter-
dumq; sine aqua aut vino deglutiebat,
interdum verò liquidi quippiam admi-
scendo ebibebat. Idem ut faciat Pisoni
suadet. Rectè autem facies, inquit,
si variâ ipsam mensurâ sumas; inter-
dum ad Ægyptiæ fabæ magnitudi-
nem, ex duobus aquæ cyathis: quan-
do modicum intervallum tibi supererit
ad antidoti concoctionem. Inter-
dum ad nucis avellanæ quantita-
tem, ex tribus aquæ cyathis: quan-
do plus temporis habiturus es, quo
possit in corpus theriaca digeri &c.
Non habet tamen eam vim post ve-
nenum accepta, quam ante sumpta
habuisset. Nam portio Antidoti, quæ
D 2 prius

12

16

20

24

prius & semel hausta tutum à mortē
 4 qveniam præstitisset, ea venenum
 subsecuta, nisi ad quadruplum quin-
 8 tuplumvé aucta, non juvabit, neq; id
 semel tantum, sed bis singulis quibus-
 12 que diebus hausta faciet. Considera-
 bis præterea, *inquit ad Pisonem*, &
 anni tempus & loci conditionem,
 quoties ipsam accipere volueris. Æ-
 16 state enim ut theriacam sumas, nullo
 pacto consulo: nam temporis con-
 stitutio calida tunc cūm sit, calefa-
 20 ctum adhuc magis ab ea corpus lædi-
 tur, &c. Quamobrem & eos qui me-
 16 diā sunt ætate, & eos qui naturalem
 temperaturam calidam admodum
 habent, moneo ut neq; multoties
 neq; multum theriacæ suscipiant. Ex
 20 adverso quibus ætas jam in senium
 vergit, & plurimum & plerumq; &
 non ex aqua sed ex vino theriacam
 24 bibere svaideo: ut ab ipsa & corpus
 jam flaccescere incipiens reparetur,
 & natus calor jam langvescens ex-
 citetur. At pueris maxime omnium
 theria

theriacam interdico, quoniam ipsius
 magnitudo illorum vires plurimum
 excedit; nam & puerile corpus faci-
 le dissolvit, & complantatum Spiri-
 tum celeriter extingvit, non aliter
 atq; lucernæ flammam, plusquam
 conveniat, infusam oleum.

Quibus
 mox historiam pueri ex intempestivo
 theriacæ usum mortui subjungit. Hac obi-
 ter ex Galeno de usu theriacæ annotare
 visum fuit. Si quis autem plenius omnes
 & singulas Theriacæ facultates, quos
 morbos presentes sanet, quibus immi-
 nentibus occurrat, & his quibus conve-
 nit, quantum, quomodo, & quando ex-
 hiberi oporteat, cognoscere cupiet: hunc
 ad doctissimum de usu Theriacæ librum
 à Joanne Baptista Sylvatico Medico
 Mediolanensi conscriptum, ablego.

Expedivi Causas Theriacæ externas,
 Efficientem & Finem: sequuntur dein-
 ceptus Forma & Materia.

Forma omnis vel est naturalis, vel
 artificialis. Naturalis rursus vel est
 Substantialis vel Accidentalisis. Et qui-

D 3 dem

4

3

12

16

20

Forma

24

248.54 ORAT. DE THERIACA
dem placet Philosophis hunc esse forma-
rum ordinem, ut Substantiales forma
prius, ac tum demum deinde forma Ac-
cidentales in materiam recipiantur, do-
cente Zabarellâ lib. de Generat. &
Inter. cap. 9. Quæ quidem doctrina
omni sanè controversiâ caret, siquidem
de formis rerum naturalium seu natura-
liter mixtarum, puta animalium, plan-
tarum &c. intelligatur. Sed enim verò
non dubitavit magnus ille Joannes Fer-
nelius hanc doctrinam etiam ad Theria-
cam, quæ de agimus, accommodare. lib. I.
de Abd. rer. caus. cap. 3. ut fermenta-
tionis in Theriacâ consimilis sit ratio quæ
mixtionis in rebus naturalibus. Quic-
quid sit, nostri instituti non est hac de re
quicquam statuere. Id solum dicimus,
utrasq; rerum formas & substantiales &
accidentales non esse humano ingenio ex-
actè cognitâs: ut minimè ferenda sit illo-
rum philantia & arrogantia, qui nume-
ris arithmeticis conantur edisserere pro-
portionem & analogiam quæ est inter
temperamentum Theriaces & pondera
nume-

numerumq̄ simplicium, quæ Theriacam ingrediuntur, temeritate prorsus ex-
 erandâ. Unde nec religio ipsis est, ipsam
 Andromachi descriptionem violare, &
 ad numeros suos cogere quoties collibi-
 tum fuerit.

Contra superbum ac arrogans hoc ge-
 nus hominum, juvat in medium adduce-
 re paucas quasdam veterum authorita-
 tes. Ac primum quidem, quod formarum
 essentia nos lateat, ipse jam pridem pro-
 nunciavit Scaliger. Exerc. 101. sect. 14.
 De Temperamento autem extat luculen-
 tum testimonium Galeni lib. de Temp.
 Itemq̄ in principio primæ part. art. parv.
 ab Erasmo citatum in Method. Med.
 cap. de Temper. part. singul. Si possem
 exactè temperamentum cognoscere,
 inquit Galenus, Æsculapium me esse
 existimarem; Nos accedimus quan-
 tum homini licet. Quibus et quidem
 verbis egregiè eorum perstringit super-
 bam temeritatem, qui temperamentum
 Theriaces ad numeros arithmeticos re-
 vocare nituntur. Enim verò cum nume-
 rorum

4

8

12

16

20

24


D 4

rorum

rorum ratio sit omnium perfectissima, & verè scientifica: quæ tandem obsecro amentia est, velle rem mortalibus omnibus non exactè cognitam, Temperamentum dico, ad computum exigere Arithmeticorum? In Theriaca tam est multiplex & varius qualitatum concursus, in tot numero simplicibus tanta sunt inimicitia, tanta vicissim amicitia, nunc bellum, pax rursus: ut incerta hæc si quis postulet ratione certa computare, nihil plus agat, dicente Comico, quam si det operam, ut cum ratione insaniat. Cogitur hoc ipse fateri Marantha lib. 1. de Ther. cap. 5. ubi post multam computationem, tandem in hæc verba prorumpit. Sed diligenter, inquit, hoc loco notandum, in tam multiplici compositione variorum simplicium, quamquam omnis diligentia adhibeatur circa tot differentias proportionum constituendas: non tamen exquisitiè, & ut planè nihil desit, illas posse exprimi. Itane verò! Quidni ergo Divinitatem Theriaca reveremur? Cur volu-

mihi

mus corrigere Magnificat quod bene
 stat? Quis furor est tantum Apollinis
 sacrum ipsis sacerdotum manibus viola-
 ri, lacerari, prophanari? Annon satius 4
 fuerat veterum reverendam authorita-
 tem suspicere? obvijs, quod ajunt, ulnis
 amplexari? exosculari? adorare? Nun- 8
 quid tutius fuerat certissima eorundem
 experientia ut valido fulcro inniti? An
 vero decebat Arcadica ista pecora ante
 Lunam nata scrupulosam rationem exi- 12
 gere à certissimo & omnium ore celebra-
 tissimo experimento? Age vero si non
 sufficit propria Maranthæ confessio; Si
 non est satis unus adductus Galeni locus, 16
 quo temperamenti pervestigationem im-
 possibilem esse docuimus: audiant sanè
 & alterum, è quo discant à corrigendâ
 Theriacâ sacrilegas manus abstinere. 20
 Ille autem habetur lib. I. de Antid. cap. I.
 ubi Galenus disertè contestatur, se in con-
 ficienda Theriaca, quam Antonino Im-
 peratori parabat, neq; omisisse neque 24
 addidisse quicquam, sed ea solum
 imposuisse, quæ ab antiquis Impera-
 torum



4 torum medicis imponi consuetum
 fuerat. Hac sanè eadem fides decet
 omnes eos, quotquot Galeni se clientes
 sectatores & discipulos profitentur. Sed
 enim, dicent Sybarita isti per plateas,
 8 quid nos moramur auctoritatem unius
 Galeni? Sanè verò, audiant ergo de qua
 12 stione proposita & sententiã magni illius
 Avicenna, qui lib. 5. Sum. I. non procul
 ab initio scribit in hac verba. Meum
 quidem consilium est, inquit, ut non
 16 removeant aliquid quod experimen-
 tum iuvativum invenit: fortassè enim
 illa complexio cum illo pondere est
 20 significans illud cuius iuvamentum
 invenit experimentum: quod, quan-
 do ipsa movetur à suo pondere, non
 consequitur illam proprietatem. Ecce
 24 consilium Avicennæ est, ne quid dema-
 mus vel de ingredientibus theriacam,
 vel de ingredientium pondere. 1. ratio
 prior est, quia theriaca ijs ingredientibus
 atq; eo ingredientium pondere, quibus ab
 Andromacho perscripta est, probatissi-
 mum est experimentum iuvativum. 2.
 ratio

ratio secunda, quia efficacia quae inest
 Theriacae, in qua pondus Andromachi
 fuit servatum, non consequetur, si pon-
 deris mutatio fiat; nam ponderis mutatio
 aliud temperamentum aliamque proprie-
 tatem parit. Ex hoc ergo loco Avicenna
 evincimus, neque ingredientia, quoad ejus
 fieri poterit, neque ingredientium pondus,
 in Theriaca Andromachi esse mutan-
 dum. Jam verò ne illa quidem etiam
 silentio praterenda sunt, quae mox sub-
 jungit adversus Suffenos arithmeticos
 nostros, qui per regulam proportionum
 conantur theriacae temperamentum edis-
 serere & demonstrare. Quod si, inquit,
 aliquis eorum dicat, quod scit causam
 facientem illa pondera facere illam
 proprietatem, tunc dicet mendacium
 in eo: cui contradicitur super illud,
 sicut si dicat aliquis scientiam ponde-
 rum elementorum in equis, homini-
 bus & alijs. Horum verborum sensus est;
 Sicut humano ingenio impossibile est ex-
 plicare rationem ponderum elementa-
 rum, ad constituendum temperamentum
 equi

4

8

12

16

20

24

equi, hominis, aut alterius rei naturalis
 ita eidem impossibile itidem est explicare
 rationem ponderum, ad quam tam ad-
 4 mirabile temperamentum & proprietas
 Theriaca consequatur. Itaq; si quisquam
 fortè eo arrogantia procedat, ut pollicea-
 tur se causam redditurum, cur ad talia
 8 pondera talis consequatur proprietas:
 hunc vanum esse & mendacium dicere.
 Coronidis vice, Scaligero, Galeno & Avi-
 cennæ Plinium adjungam lib. 29. cap. 1.
 12 ubi non ἀπὸ τῶν & simpliciter omnem me-
 dicamentorum commistionem damnat,
 sed solùm scrupulosam illam & arithme-
 ticam, de qua impræsentiarum agimus.
 16 Vocat ejusmodi computandi rationem
 perfidiam, quam ἐπιφανῶς dicit oportu-
 tuisse ab aliquo Deorum esse monstratam.
 20 Hominum enim, inquit, subtilitas tan-
 ta esse non potuit. Ostentatio artis
 & portentosa scientiæ venditatio ma-
 nifesta est, ac ne ipsi quidem illam
 novère. Visum mihi fuit hæc summo-
 24 rum virorum testimonia adducere, ad
 cristas retundendas quorüdam arithme-
 ticorum

ticorum, qui summis, quod ajunt, ungui-
bus ingredientes, magno supercilio pon-
derum rationem in theriaca tum ab alijs
exigunt, tum ipsi pollicentur. Has factas
simias sanè tandem missas faciamus :
quippe quæ præter Sellissare cum nihil
norint, commiseratione potius digna sint,
quam ulteriori confutatione. Equidem
non ignoramus quod Galenus tum alibi
tum lib. ad Pis. cap. 5. dicit, Veteres
compositionis artem ex ingredientis
cujusq; temperatura fuisse mutuatos. 12
Nam si quæ, inquit, nimium intensas
qualitates habebant, aliorum admi-
nitione reuiderunt : si quæ nimium
âcres, habetarunt, &c. At numerorum 16
ponderûq; nugas & ineptias, quales Neo-
terici quidam de Theriacâ effutiverunt,
apud Galenum nusquam legimus. Iuvat
itaq; locû hunc, de numero & pondere eo- 20
rum quæ Theriacâ ingrediuntur, conclu-
dere verbis doctissimi Sylvatici, qui lib.
de Ther. compos. cap. 6. Quantita- 24
tis, ait, & numeri medicamentorum
seruatam proportionem quid opus
est

est explicare? Hanc exquisitè adeò
servavit Andromachus, ut non sine
compositionis magna jactura, aut nu-
merus aut quantitas medicamento-
rum possit evariari, imò damnentur
ab omnibus, quicunq; quippiam
etiam levius immutare aut demere te-
merariè ausi sunt. Servatæ autem ab
Andromacho proportionis rationem
reddere velle, superfluum omnino
esset, nec præsentis nostri videtur esse
instituti. Andromachum exquisitè
adeò eam servasse sufficit credidisse,
ut propterea mirandæ cujusdam fa-
cultatis sit compositio. Atq; hæc qui-
dè hæctenus de Theriacæ formâ naturali.

Progređior nunc ad Theriacæ formam
artificialem. Et quamvis ad hanc indu-
cendam multa requirantur, quæ longio-
rem sermonis ductum requirere videri
possint; hoc tamen agam, ne hoc etiam
loco prolixitatis accusari merito, possim.
Contraham ergo in quatuor capita
veluti Actus, quicquid huc pertinere vi-
debitur, nempe in Dispensationem
quam

quam vocant, Examen, Exhibitionem
Publicam & Commistionem. De qui-
bus singulis ordine, quanta potero brevi-
tate, dicam.

4

Dispensationem voco simplicium sin-
gularum ritè preparatorum, ad prescri-
ptum alicujus recepti Antidotarij, dispo-
sitionem, à Pharmacopœo factam: ut Me-
dicis sit facilior ad examinandum adi-
tus. Hæc parascève ad Pharmacopœum
pertinet, qui simplicia omnia & singula
justo tempore conquirit, datq; operam ut
radicibus recto tempore effodiendis, man-
dandis, commodo loco siccandis & repo-
nendis, similiterq; & herbis, floribus se-
minibusq; colligendis, tum & reliquis
medicamentis debito modo preparandis
nihil desit.

12

16

Dispensationi succedit Examen, quod
non est quorumlibet, sed Medicorum
duntaxat: Quare equidem existima-
mus adeoq; & confidimus, neminem fore
æquiorum hominum, qui nostrum non sit
comprobaturus consilium, quod volueri-
mus hæc tum ordine tum tempore esse di-
stincta.

20

24

4 stincta. Etenim Dispensationem per Phar-
 macopæum nostrum Petrum Schultzi-
 8 virum ut doctum artisq; Pharmaceutica
 egregiè peritum, ita & industrium, quan-
 ta fieri potuit diligentia, adornari cura-
 vimus. Deinde convocatis amplissima
 facultatis Medicæ Dominis Professori-
 12 bus, alijsq; Medicina Doctoribus, prate-
 reaq; omnibus in hac Academia Medici-
 næ studiosis, accuratum instituimus sin-
 gulorum simplicium, quæ Theriacam in-
 16 grediuntur, examen. Atq; ubi succeda-
 neorum erat delectus: ibi eorum autho-
 rum iudicium sumus secuti, quorum sen-
 tentia omnium optima toti collegio medico
 20 visa fuit. Hisce fideliter divina aspirante
 gratia peractis: proximum deinceps est,
 ut ad exhibitionem Theriacæ publicam
 & solennem accingamur.

24 Exhibitiõ autem Theriacæ solennis,
 non ad solos Medicos, sed ad omnes omniu
 ordinum homines, ob testimonium publi-
 cum, pertinet, estq; hæc non ipsum Exa-
 men, sed jam antea examinata & au-
 thentico medicorum unanimi consensu
 appro-

approbata Dispensationis, publica quæ
quædam contestatio & declaratio.

Ultimo tandem loco est ipsa simplicium
artificiosa Commistio, quæ & ipsa rursus
non ad omnes, ob vitandam confusionem,
sed ad solos pharmacopæos operantes, &
Medicos assistentes spectat & pertinet.
Modus autem commiscendi, cum de hoc
quoq; inter Scriptores non conveniat, re-
tè desumetur ex approbato aliquo Anti-
dotario, qualia v. g. sunt Noribergense
& Augustanum, prætereaq; Georgij Mili-
chij Venetorum Pharmacopæi percele-
bris. Quibus doctissimum Sylvatici li-
brum i. qui de Theriaces compositione
inscribitur, commentarij vice adjungere
nihil vetat. Hic enim omnia illa quæ Ga-
lenus habet ad Pis. cap. 14. & pleraq;
quæ ab alijs bonis authoribus hac de re
uspiam scripta extant, congeffit: ut hunc
unum compendij vice pro multis habere
liceat. Tempus non quodlibet Compo-
sitioni aptum esse, sed Aprilem & Majum
in Vere, vel primum mensem in Æstate,
admonent Noribergenses: addita ratio-
ne

4

8

12

16

20

24

E ne

ne, quòd hoc pacto melius fermentatio-
nem Theriaca consequi possit. Certè, sicut
parum convenit sectiones anatomicas
4 exercere tempore verno: ita Theriacam
componere mense Januario perquam in-
tempestivum est.

Ad Commissionem pertinet Fermen-
tatio, cujus beneficio illa tandem exurgit
7 tertia Natura, quam Galenus noster ad
Pisonem in fine capitis 10. luculenter
edisserit. Porrò de tempore fermentatio-
12 nis, & varijs Theriacæ etatibus, variè
Authores scribunt, Quorum dum scri-
pta confero, inquit Andreas Butnerus
lib. de Ther. & Mithr. cap. 7. mihi vi-
16 deor esse in sylva quadam ignota, ubi
nec arbores agnoscam, aut viam in-
vestigem, nec cœlum ipsum aut lucem
intueni possim. Atq; ita quidem est
20 sanè, sed gratia merito debentur Sylva-
tico, qui hanc etiam viam complanave-
rit, & hanc sylvam luce donaverit, di-
scussis Marantha tenebris. Etsi prolixit-
24 tatis scopulos ubiq; pro virili quidem de-
vito: jubet tamen institute orationis
cursus

cursus, de hac etiam materia aliquid in
 medium adferre, quod rectè fiet, si, quæ
 à Sylvatico fusè dicuntur, in pauca con-
 traham. Is igitur lib. 1. qui de Theriacæ
 compositione inscribitur, cap. 11. pag. 847.
 volvere incipit hoc saxum de fermenta-
 tionis tempore. Pagina 348. Galeni citat
 testimonia lib. ad Pis. cap. 14. & lib. ad
 Pamphilianum, prætereaq; lib. 5. me-
 thodi, cap. 13. Quæ testimonia huc eram
 adscripturus, ni brevitati operam darem.
 Pergit deinde Sylvaticus, & pag. sequen-
 tibus 349. & 350 aliorum veterum, Aëtij,
 Nicolai Mirepsi, Pauli Ægineta, Avicen-
 na, Haly Abbatis, Serapionis, & Nicolai
 Præpositi sententias colligit. Cumq; inter
 hos authores, de justo fermentandæ The-
 riacæ tempore, magna sit dissensio: quid
 pro ijs conciliandis, Bartholomæus Ma-
 rantha olim scripserit, à pagina 351. usq;
 ad paginam 357. refert. Deinde conci-
 liationem illam Maranthicam à pag. 357.
 usq; ad pag. 363. examinat & nervosè
 confutat. Confutato Maranthâ, tandem,
 pro conciliandis veteribus, suam ipse sen-
 tentiam

tentiam & rationem producit pag. 363.
eamq; prosequitur usq; in paginam 373.
ubi demum sententiam suam concludit.

- 4 Cujus quidem hæc summa esse possit.
Communiior sententia huc redit. Impri-
mis tenendam esse semel receptam inter
Medicos sententiam Avicennæ lib. 5.
8 Sum. I. non procul ab initio dicentis: Et
Theriacæ quidem adsunt Infantia, &
Pubertas, & Adolescentia, & Senec-
tus, & Mors. Quod autem Avicenna
12 dicit Theriacam fieri Infantem post sex
menses; id de Infantia initio interpre-
tatur Sylvaticus, priore seu antegresso
tempore conceptui & partui adscripto.
16 Non enim tantillo fermentationis tempo-
re Infantia vires acquirere & actiones
edere potest. Id quod probat primum
Aëtij autoritate annum integrum pro
20 coctione ista constituentis. Deinde &
aliorum, qui tres annos hanc requirere
determinant. Adducit præterea argu-
mentum ab ipsa fermentationis coctionis
24 & unitiois natura, quæ tam brevi tem-
poris spatio, in tanta diversorum & pu-
gnan-

gnantium simplicium congerie, praesertim
in regione frigidiore, perfici nequeat.
Adfert etiam exempla aliarum composi-
tionum, quibus fermentandis à Mesue
sex menses assignantur. Cum autem Ga-
lenus alijs, antiqui Medici dicant, longo
tempore opus esse, ut concoquatur The-
riaca: non est dubium, quin id compa-
rative, & respectu aliarum composi-
tionum, sit intelligendum. Ut Infantia The-
riacæ sit à sexto mense ad annum usque
duodecimum: quo toto tempore adhuc
recens appellatur.

Quod verò tum Galenus tum Avi-
cenna alijs, in universum Medici anti-
qui omnes dicunt, Theriacam recentem
adversus venena potentiorē esse, hujus
rei ineptissimam rationem reddidit Ma-
rantha; quia pauca adhuc facta sit
inter simplicia medicamenta actio
passioq; Theriacam enim intra annum
duodecimum perfectè concoqui, author
est Galenus lib. ad Pis. cap. 14. quo
tempore majorem tum calefaciendi tum
siccandi vim acquirere, quam tempore

E 3

pre-

prægresso habuerit, nemo dubitare potest:
ut reverà longè alia sit quærenda caussa,
4 cur à quinto & septimo anno, Theriaca
adhuc recens, potentior adversus vene-
na sit, quam post annum duodecimum.
Id certè ad manifestas qualitates referre
stultum fuerit, cum constet certo certius,
8 & citra omne dubium, qualitates mani-
festas in Theriaca potentiores esse anno
duodecimo, quam quinto aut septimo,
12 etiam quoad expellenda venena: quate-
nus nimirum corpus reddunt transpira-
bile & vim expultricem juvant. Causa
ergo cur Theriaca quinto & septimo an-
16 no adversus venena sit valentior, non ad
manifestas, sed ad solas occultas est refe-
renda, solâ experienciâ compertas: qua-
rum si quis rationem conetur indagare
20 manifestam, is certè funiculum, quod
ajunt, ex arena necat, aut, ut Poëta
verbis utar, jungat vulpes & mulgeat
hircos. Argumenta Sylvatici si quis co-
24 gnoscere cupit, legat eum citato libro pri-
mo cap. II, à pag. 368. ad pag. 373. No-
bis orationem hanc nostram longius pro-
trahere

trahere non licet. Itaq³ locum hunc claudimus verbis Galeni quæ leguntur lib. ad Pis. cap. 14. Concoquitur Theriaca, inquit, ut plurimum intra annos duodecim. Sed qui valentiori potentiori; uti voluerunt: ipsam post quintum & septimum exhibuerunt: præsertim adversus Venenatorum ictus, canum rabientium morsus, & noxia herbarum venena; Validis siquidem noxis succurrere cum velent, potentioribus Theriacæ viribus eguerunt. Potens est autem in his ad annos usq; triginta. Alijs autem morbis in quibus tanta non inest efficacia lædendi, sexagesimo etiam subvenit: Nam ultra hoc spatium debilis admodum & imbecillis evadit: Hæc Galenus. Cæterum ad locum quod attinet, lib. 5. meth. cap. 13. de quadrimestri Theriaca splendida Romana mulieri exhibitâ: sciendum est Galenum ea Theriacâ usum esse non ut Theriacâ, sed ut Narcotico.

De Causis sola adhuc reliqua est Materia

E 4 teria

4

8

12

16

20

24

Materia

4 teria. Hanc verò in Examine, quâ potuimus diligentiam consideravimus: eandem denuò jam hic ad incudem revocare, & ad amissim prosequi, lex vetat orationis, quæ tantam rerum molem non capit.

5. Definitio. Ex ijs quæ hæcenus allata sunt, jam Theriaca definitionem colligere & extruere non est difficile. Quando Galenus eam dixit ἀντιδοχὴν δι' ἐχιδνῶν, satis definivisse arbitror. Constat enim illa definitio genere proximo & differentia specifica. Si quis verò à nobis postulet definitionem Theriaca Andromachi seorsum: dicemus, Esse Theriacam: quam è Mithridatio alijsq; Theriacis & Antidotis seu compositionibus Bezoardicis composuit Andromachus, cum additione carnis viperarum: adversus potiones exitiales, ictus & morsus venenatarum bestiarum, adversus pestem & luem epidemiam adeoque quamlibet malignitatem, deniq; adversus complures morbos qui à prava victus ratione oriuntur.

6. Cognata Jam ut de Theriaca Cognatis aliquid dicam

dicam instituta orationis nostra ordo & cursus videtur postulare. Inter hac autem principem sibi locum facile vindicat Mithridatium, antidotus certe qua de praestantia palma cum Theriaca paribus vivibus certet: dubium penè ut sit, utra alteri sit praferenda. Dies me deficiat, si Graecorum, Arabum juxta & Latino- rum, de hac Antidoto in medium adducere velim encomia: cum jam inde à temporibus Mithridatis, nemo usquam fuerit celebrium medicorum, qui non summis eam vehendam elogijs censærit. Missis ergo aliorum scriptis, saltem quid Galenus noster aliquot locis de eâ commemoret, brevibus perstringam. Ille lib. I. de Antid. cap. I. refert, Mithridatem omnium fermè simplicium medicamentorum quæ venenis adversantur sedulo vim expertum esse, in hisce hominibus qui morti condemnati fuerant. Reperisse itaq; privatim quædam phalangijs, quædam scorpionibus, quædam viperis adversari: item eorum quæ ad exitiales potiones faciunt

4
8
12
16
20
24

ciunt, illa aconito, hæc lepori marino,
 alia alij atq; alij veneno remedium
 esse. Quæ omnia commiscens Mithri-
 dates, medicamentum unum effecit,
 ex eo se sperans auxilium venenis
 omnibus præfens habiturum. Subse-
 cutus autem multis post annis An-
 dromachus, inter Neronis medicos
 primus, nonnullis additis, Theriacen,
 quam appellant, composuit, haud
 exiguam partem carniæ viperæ,
 quibus Mithridatica antidotus care-
 bat, cæteris admiscens. Saneq; idcir-
 co Theriaca ad morsus viperæ plus
 Mithridaticâ valet: ad reliqua vero
 omnia non modo quicquam illâ plus
 non potest, sed & in quibusdam infe-
 rior etiam. *Deinde paucis interjectis,*
usum edisserens, subdit. Quod si quis
 singulis diebus, sicuti olim Mithrida-
 tes solebat, antidotum capiat, nullis
 serpentum moribus, nullisq; noxijs
 potionibus lædetur: id quod ipsi Mi-
 thridati contigisse ferunt, qui cum
 potius veneno mori quàm in potesta-
 tem

tem Romanorum venire decrevissent,
 nihil invenit quo se necare posset.
 Eandem de Mithridate historiam ali-
 quanto plenius narrat, lib. ad Pis. cap.
 16. Nam, inquit, & Mithridatem il-
 lum bellatorem magnum ferunt, non
 assumptâ theriacâ (quæ nondum
 erat) sed alia quæpiam multiformi
 antidoto, Mithridatica de illius no-
 mine dicta, non potuisse sumpto ve-
 neno mori: quoniam sic illius mem-
 bra temperaverat, ut ab re noxia pati
 non posset. Hoc autem contigit, quo
 tempore bellum cum Romanis ge-
 rens, à Pompejo profligatus atq; in
 extrema fortuna constitutus, illæsus
 è vira discedere festinaret. Hausic
 itaq; venenum, & plus etiam quàm
 satis esset ebibit, nec tamen ipse mori
 potuit: Filias verò ipsius, quæ cum
 patre vitam finire prorsus decreve-
 rant, atq; ideo ex eodem quoq; ve-
 neno hauserant, celeriter occubuisse
 tradunt. Mithridates igitur cum mori
 tardaret, eò quod Antidotus, quam
 præ-

4

8

12

16

20

24

præsumperat, venenum redderet,
 irritum, unum ex amicis suis nomine
 Bistocum vocavit, cui mandavit ut se
 jugularet. Is autem opus veneni ferro
 absolvens, Mithridatem violenta
 morte confecit. Fuit autem Mithrida-
 tes rex Ponti, qui sicut ab ingenio com-
 mendatur, quippe quod vincti dua-
 rum gentium, quibus imperabat, ore lo-
 queretur: ita maxima crudelitatis in-
 famiâ laboravit. Nam Laodicem conju-
 gem, & sororem, præterea matrem, fra-
 tremq; ac tres filios impuberes, totidemq;
 filias, interfecisse dicitur. Unde mihi qui-
 dem fit verisimile, in exploranda medi-
 camentorum virtute adversus venena,
 in hominibus fontibus, parum fuisse reli-
 giosum. Atq; hæc quidem obiter de Mi-
 thridatio & Mithridate.

20 Inter Theriacæ Andromachi Cognatæ,
 ijs etiam aliorum Theriacis locum faci-
 mus seu concedimus, quas nuper è Galeni
 lib. ad Pis. cap. 12. percensuimus. Sed neq;
 24 novam illam à Medicis Romanis & Bo-
 noniensibus compositam, quam in suum
 Anti-

Antidotarium retulerunt Augustani, hoc loco censemus pellendam. Quod si quis huic præferre etiam velit Josephi Quercetani Theriacam, materiali, ut ille quidem loquitur, simplicium cortice exutam: non equidem reclamabimus. Theriacam etiam Diatesseron hoc loco haud gravatè dignamur.

Ad Classẽm Theriacæ Cognatorum meritò & Confectionem Alkermes revocamus, in usum ferè Magnatum & Principum comparatam: quod magno constet pretio. Præterea alias aliorum confectiones cordiales & Antidotos, quæ in approbatis Antidotarijs passim reperiuntur, hoc in ordine poni non prohibemus.

Explodimus autem ex hoc ordine, ut Pugnancia; eas compositiones, quæ pro Theriaca Andromachi legitima, vendunt & vendunt complures Myropola, quæ stus tantum gratiâ comparatas; quæ præterquam quod sunt pecuniæ aucupia, in certam ementium perniciem sæpè vergunt: quando utentes pollicita spe fraudant, & occasione interim alijs melioribus

Pugnancia.

bus utendi privant. Quod equidem flagitium quid tandem est aliud quàm latrocinium cum peculatu conjunctum? dignum meherculè in quod à Magistratu politico quàm gravissimè animadvertatur.

8. Dabunt hoc loco veniam mihi ab amplissimo hujus urbis Senatu delegati, si quod res est, de Agyrtis & Unguentarijs circumforaneis dicam. Isti homines cum ne definitionem quidem Medicinæ aut morbi nôrint, nedum ut rationem medendi unquam didicerint: obsecro quid aliud agunt, quàm quod in hominum præsertim plebejorum & ferè pauperiorum pecuniolas & corpora crudeliter grassantur? His quando potestas datur medicamenta in foro publicè vendendi, & præterea passim in urbe morbos curandi: pro Deum immortalem! simul potestas & licentia datur impunè per urbem civium marsupia emungendi, & corpora necandi.

24 Idem prorsus dico de Medicis clandestinis, quales aliquot hæc urbs fovet.

Qui

Quibus, etsi Medicinam nunquam ne à
lumine quidem salutârint: eousq; tamen
crista & supercilia creverunt, ut ausint
impunè, quoties collibuerit, officinam
adire, medicorum Receptas, quas vo-
cant, perlustrare, & velut anseres inter
olores strepere, ipsiq; sua, quibus volunt,
medicamenta præscribere, vendere &
propinare. Erat truculenta temeritas,
erant fraudes & pecuniæ aucupia ejus-
modi hominum prohibenda, compescen-
da, punienda. Quis enim permittat rudi
pebecula, cum vult, fortunarum & vi-
tæ discrimen incurrere? Reipublicæ
oculus non plebs est sed Magistratus;
hujus est providere ne vel volenti plebe-
bilis injuria fiat. Vellent libenter agni
quandoq; cum canum & luporum catu-
lis colludere: quod tamen ne fiat, boni
pastoris officium est providere adeoq; &
prohibere.

Dixi de Theriaca, quantum tempo-
ris ratio visa fuit postulare. Reliquum
deinceps est, ut Theriaca jam dispensata
jamq; examinata Exhibitio publica fiat,
40

Epilogus.

24

Pag. ORAT. DE THER. SENIORS AND.
ac deinde & Commistio. Et quidem
Publicationi dictus est dies crastinus,
in ipso Pharmacopolio, hora prima post
4 meridiem. Quo tempore singula Ther-
riacam ingredientia, eo ordine quo in
Antidotario Augustano perscripta sunt
8 omnibus videnda & conspicienda expe-
nemus.

Quod superest, Deum ter opt. max.
& altissimum, qui de terra creavit
12 Medicinam, & Medicum, & qui ait
Da locum Medico, & non disceat
ate: quia opera ejus sunt necessaria
ardentibus votis precamur, ut quam
paramus Theriacam, velit urbi huic
16 toti Ducatui Megapolitano, adeoque
omnibus in universum qui ea
utentur, utilem & sa-
lutarem.

20
D I X I.

Omissum & Commissum
typographicum.

Pag. 5. lineâ 10. lege epoto toxico, vitâ excessivâ
Reliqua æquus Lector ipse corrigeat.


7180.

17. März 1954



SENIORIS AN
trahere non licet. Itaq
dimus verbis Galeni q
ad Pis. cap. 14. Conco
ca, inquit, ut plurimu
duodecim. Sed qui va
tioriꝫ; uti voluerunt
quintum & septimum
præsertim adversus V
ictus, canum rabienti
noxia herbarum vene
quidem noxis succur
lent, potentioribus T
eguerunt. Potens est
annos usq; triginta. A
bis in quibus tanta no
lædendi, sexagesimo e
Nam ultra hoc spatium
dum & imbecillis eva
nus. Cæterum ad locu
lib. 5. meth. cap. 13.
Theriaca splendida & Rom
hibitâ: sciendum est Gal
câ usum esse non ut T
Narcotico.

De Causis sola adhuc



71
ib.
ia-
os
n-
ost
nt:
n
&
fi-
el-
us
ad
or-
cia
it:
16
no-
le-
ret,
Tri
20
ex-
ia-
ut
24
Ma- Materia
ria